



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Auxentius Abb. 14. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

quo Lustratam VIRGINEM colimus , die , vidit hanc è summâ arâ , ad illa cantantium verba (*Gloria Patri , &c.*) prehensâ filioli manu omnibus benedicere. Poterat hoc credo ad cantum Angelos provocare. Cæterum dum Terram sanctam petit JORDANVS , naufragus in medio mari portum reperit , appulsusque ad beatiorem est Soly-
mam. Ex Surio.

*Debemus surgentes gratias Christo agere & omnes
diei opus in signo facere Salvatoris. Nam in uno signo
Christi omnium rerum est tuta prosperitas: Qui in hoc
signo seminare cœperit, vita fructum consequetur ater-
na. S.Max.de carn.host.non timend.*

S. AUXENTIUS ABB. 14.Februarii.

A UXENTIVS , cùm eodem in contubernio non convenire Marti & vitæ innocentiae perspicceret , ut D E O vacaret , vacationem à militiâ sibi impetravit. Neque arma tantum posuit , sed ut miserum contra frigus armaret , tunicam ex mendicabuli humeris suspendit. Alias quod pauperibus stipendia numeraret , operam suam inter opifices locavit. Oxeam deinde montem conscendit , atque iterum , sed melior miles sub pellibus vixit , omni aliâ ueste abjectâ. His horridum pueri Patores , cùm gregem amissum quærerent , feram purarunt. Sed ille , quâ erat in juventutē humanitate , facile se hominē probavit , imò homine majorem ostendit , cùm vates pueris absens edixit , quod greges aberrassent. Inter hæc celebrari ab accolis concurrentibus cœpit , cùm passim ægri venirent , fani redirent. Ipse Imp. Marcianus familiariter usus viro fuit , & ad Chalcedonense Concilium evocavit. Ibi dum Patres præstolatur , & velut
impostor

impostor habetur, à columbā cibum accipit. Verbis deinde ac miraculis Christi divinitatem & virginitatem Christi Matris propugnat. Obit denique longā patientiā clarus, & vermes, cùm ē putrido vulnere exciderent, loco suo reponere solitus. Nos delicati vermium nomen horremus, sed mortui baculo scilicet (ut ille canes) abigemus.
Ex Metaphr.

Quid est parare viam Domini, nisi adventanti de celo Iudici, purgato à vitiis pectore, simplicis cordis habitaculum preparare? Quid est rectas facite semitas ejus, nisi ut tales actuum tuorum tibi munias vias, quas perambulare propitius veniens ad te Dominus delectatur? S. Maxim. hom. 1. de S. Joan. Bapt.

SS. FAUSTINUS ET JOVITA MM.
15. Februarii.

Sub annum Christianū C. XXXII. cùm Brixensis Pontifex Apollonius metu tyrannidis fuga subduxisset se, ne barbaro furori lacerandus Christi grex pateret, meliores in locum Pastores FAUSTINVS Sacerdos & JOVITA Diaconus successere. Certè animas suas non multò post impendere gregi suo non dubitarunt, cùm memorabiles prius pugnas edidissent, quibus non modo Italicum Comitem, sed Adrianum ipsum Imp. quin imò ipsos Deos triumpharunt. Solis enim Colossum adorare jussi, hunc primò in carbones, deinde in favillas redegerunt, filio suo Phaëthoni posthac similem. Jam leones, leopardi, ursique virtutem in Pastoribus nostris horruerunt, & cùm prius carnifices, interque hos sacrificulum Saturni, Comitemque Italicum lacerassent, imperio Martyrum in silvas, & nemora sua emigrarunt.

Post